


V. C
2943



524, 17

Oratio xxiv, 17

Oratio Funebris

Vc
2943

D E

A V G V S T O

PACIFICO, IVSTO, RELI-
GIOSE, FELICE, BENEFICO, SAXONVM
Duce Illustrissimo, Rom. Imperij VII. viro &
Archimarschallo, Marchione Misniae, Landtgrauio
Turingiae, Burggrauio Magdeburgense &c. tristis-
simo Germaniae fato 11. Februar, 86.

Dresdae defuncto,

Habita in templo arcis.

IN MOESTISSIMA PAREN-
TATIONE, QVAM IN SVMMO LVCTV
*Academia Vitebergensis Patri Patriae fe-
cerat 27. Feb. 1586.*

à

GEORGIO MYLIO AVGVSTANO,
D. P. & Academiae Cancellario.

V I T E B E R G A E

Excusa typis heredum Johannis Cratonis.

Anno M. D. LXX XVI.

ii.



CHRISTIANO
AVGVSTIDI, DIVI,
PACIFICI, IVSTI, RELI-
GIOSI, FELICIS, BENEFICI,
VII VIRI ROMANI SAXONIS
FILIO,

PATERNARVM VIRTVTVM,
7NDOLIS, LAVDVVM, ATQVE
7MPEPPI

HÆREDI VNICO
SVCCESSORI MOESTISSIMO
PRINCIPI SAXONVM CLEMEN-
TISSIMO

VII. VIRO POTENTISSIMO
IN SVMMO PATRIÆ LVCTV
DEDICATA.

M. D. LXXXVI.



Oratio lugubris

D E

AVGVSTO GERMANICO ELECTORE SAXONE.

HTSI EA MENTE SVM, MA-
gnifice D. Rector, patres conscripti, con-
cio amplissima, etsi, inquam ea mente
sum, ut vix quicquam arbitrer esse in
hoc summo atq; acerbissimo luctu, vel
ad dolorem moderandum utilius, vel ad testandam
gratitudinem commodius, parentatione publica, qua
exequias Sanctissimi Principis nostri, Domini, Me-
cenatis, Patris patriæ, herois Illustrissimi, Augusti
augustorum omnium augustissimi, oratione solenni
illustremus: Et ego à Senatu Academia amplissimo
grauiter admonerer, ut eas perorandi partes in me
reciperem: fateor tamen, me ab hoc officio vehemen-
ter abhorruisse. Nam cum alia nonnulla animo
meo hac in parte obstare videbantur: tum duo erant
precipue, quæ me maiorem in modum deterrebant.
Vnum erat luctus acerbitas, Et squalor iste publicus,
in quo vix verba inueniri posse videbam, quæ ad a-
cerbissi-

A 2 cerbissi-

cerbissimum dolorem & magnitudinem luctus exprimendam sufficerent: tantum abest, ut ulla oratione, ulla vi dicendi sperarem me posse consequi, ut ad mitigandum dolorem iustissimum, aliquid momenti afferrem, qui & Reipub. orbitate vehementer perturbabar ipse: & cui dolorem publicum priuatus luctus augebat, quem ex immatura iactura summi Mecanatis maximum perceperam.

Alterum erat argumenti grauitas, qua profecto tanta est, ut in eo summos etiam oratores laboraturos existimem. De me autem id testari possum, me huius argumenti grauitate obrutum, nunquam magis meam sensisse tenuitatem, quam cum ad huius argumenti tractationem accederem. Quia uero eorum uoluntas interuenit, quorum ego neque auctoritati debeo, neque iudicio possum refragari: quanquam ego, quam & ingenio parum, & doctrina atque eloquentia nihil ualeam, probe sum mihi conscius: malo tamen de ingenij atque eloquentiae fama, quam de pietatis atque gratitudinis existimatione in dubium venire. Quin imò, quò plura me deterrebant, ne hanc prouinciam susciperem: eò opinor, clariùs cerni poterit animus meus, studio ardentissimo pietatis in sanctissimum Principem, obseruantia erga hanc Academiam

miam inflammatus, in quo si non conatus laudem:
successus tamen, qualis qualis sit, veniam apud aequos
iudices facile merebitur. Sed enim hoc etiam fateri-
dum est; posteaquam tanta materia imparem me de-
prehendi, supplex ad Dominum conuersus orauit, ut
saltem beatissimis optimi Principis manibus hoc
concederet, ut diuino beneficio aliqua dicendi facul-
tate instructus, pro usu vestro, dignitateq; ac merito
tanti Principis, hoc loco possem commode aliquid dis-
serere. Id quod vestrarum precum interuentu me
facile esse consecuturum, optimè confido.

Jam verò primū omnium non est, ut expectet
quisquam vulgarem illam historiam telam, qua natali-
um, quæ patria, quæ parentum atq; prosapia descripti-
onem continet: quarum rerum omnium splendore
summo enituisse Augustum Principem augustissi-
mum, ignorare non potest, nisi qui eius, in quo vi-
uit, seculi nescius est, quiq; Illustrissimam VVitikin-
de stirpis propaginem & gentem illam heroum Sa-
xoniam, hoc est, Solem quasi in mundo non agnoscit.
Nota hæc sunt, ut opinor, omnibus. Quis est enim,
quem Illustrium parentum Henrici illius pij laudes:
Catharina ex Holsata gente prognata, pudicissima &
encomia lateant? Quem fugiat Alberti illius

verè maximi, cui nimirum paterni celebritas, qui
Dextra manus Imperij, publico elogio dici, propter e-
gregia in Rempub. merita superiori proximo seculo
meruit? Ne in abyssum aut arum laudum ulterius
progrediar: Cui obscurum esse potest, Achilleum
illud Germanica virtutis miraculum, Maurici-
us frater? Quis non praclara huius cognovit fa-
cinora? mirabili celebritate disturbatam, qua Tri-
denti confluxerat ex Papatu, Synodum impiam ex-
cussam à Germanica gente durum servitutis iugum:
partam felicissimè, sancitamq; aquisimis legibus sa-
cram illam Religionis pacem, qua ant hac obtineri
precibus nullis poterat, qua effectum est, ut constite-
rit haectenus pax in Imperio & tranquillitas publi-
ca. Hac inquam & similia non commemorabo in
recensendis Augusti Divi laudibus. Non educa-
tionis cultum, non adolescentiae studia, non iuventu-
tis specimina: non deniq; regias illas cum beatissima
Anna nuptias referam. Quae licet summa fuerint o-
mnia: sic tamen fuerunt comparata, ut vel commu-
nem cum aliis magnis Principibus laudem: vel
priuatum praecipue commodum habuerint. Maiora
sunt, quae consector, & augustiora longè, nimirum
ea, quae propria huius Principis fuerunt, quorum
laude ita planè supra alios Principes excelluit, què ad-
modum

modū inter reliquos mortales dignitate Principes ipsi eminent: quorum deniq; etiam fructus non tam ad ipsum, quam ad Rempub. uniuersam, totumq; adeo mortaliū genus longè uberrimus redijt. Qua commemoratione futurum confido, ut non hominem nos amisisse (quod omnibus accidit) non principem, quod plurimis contingit: non patronum aut amicum, quod multis usu venit: sed qua nostra potissimā calamitatis summa est, amisisse nos, amisisse inquam, proh dolor, Principem incomparabilem, heroem inclytum, Mecœnatem maximum, Patrem patriæ optimum, & ut, quod res est, dicā, amisisse nos seculi nostri non inter Principes tantū: sed in uniuerso adeo mortaliū genere verum Miraculum: Quodq; ex his est consequens, id intelligatis deniq; nihil ad dolorem grauius, ad mœrorē nihil acerbius, nihil ad luctum nobis accidere iustius in humanis reb. potuisse.

Quod sacrosancta Scripturarum oracula testantur, diuinitus constitui regna atq; imperia: imò æterna sapientia suapte voce apud Solomonē pronunciat, Per me reges regnant: Per me Principes imperant, nimirum ne casu, sed fato dari principes, ne fieri, sed nasci eosdem persuasum omnes habeant: id euecto mirabiliter ad Imperium Principe nostro, res ipsa statim temporumq; ratio abundè docuit. Erat tum is rerum in Imperio Romano status, quo

Dan. 2. 21
Prouerb. 16.

distractis plerorumq₃ animis, Principum etiam voluntatibus & studijs partim à Cesare ipso alienatis, partim inter sese minimè coherentibus, in promptu erat, ut dissipatio ista horrendam vastitatem in Imperio pareret, nisi diuinitus excitaretur Princeps, qui consilio, viribus atq₃ autoritate instructus, in eam potissimum curam incumberet, ut odijs atq₃ simultatibus mutuis sublatis, pax in Imperio publica rursus coalesceret. Is verò diuinae prouidentiae consilio Augustus fuit: qui cum à civilibus atq₃ intestinis bellis abhorrens, eo tempore, quo acerrimus, & penè tragicus in Germania Principum conflictus fuit, in Daniam sese cum coniuge contulisset ad socerum Christianum, Regem Christianissimum, ne pars imò, ne spectator etiam esset, Cadmae pugna, quae committenda erat: ibidem ad breue tempus quasi in asylo constitutus, indidemq₃ exiguo post interuallo flammis belli, principum ipsorum sanguine, extinctis, reuocatus, diuino planè consilio ad capeffenda Reipub. gubernacula accessit. Factum est hoc anno supra millesimum quingentesimum quinquagesimo tertio, mense ipsi Principi (non sine omine) homonymo, nempe quod August eo inchoante seculo, Augusto omnia fore augusta in Imperio, Deus haud obscure ostende-

stendebat: Quod omen ne vanum fuisse quisquam
sit, qui existimet. sic habendum est: primum, licet di-
tione, integra praesertim, vix sine armis videretur po-
titurus: factum est tamen mirabili bonitate Dei, ut
non tantum sine armis: sed & citra omnem difficul-
tatem tota ditio in fidem eius promptissime sit reda-
cta. Deinde quamvis nuper plena essent omnia mo-
tibus, & bella adhuc passim inter Principes aliquot
gliscerent, acceptaque cladis dolor acriter nonnullos
pungeret: quinimo quamvis belli prosequendi, ulci-
scendaeque mortis fraterna haud iniuste videri pote-
rant Augusto oblata esse causa: pax tamen & tran-
quillitas publica passim profligata, illico tanti fieri ce-
pit, ut ab armis omnes discedentes, ad concordiam
ineundam studia sua certatim quasi adiungerent.
Ditione uniuersa occupata, atque omni populo in fidem
suam adacto, Lipsiae statim ordinum prouincialium
conuentum eodem mense indicit, eorumque consensu de
pace cum omnibus colenda decretum facit, & foederi
Episcoporum, ex quo turbis facile implicari poterat,
quamvis de eo diligenter a Ferdinando Rege sollicita-
retur, praecise renuntiat. Paucis post mensibus cum
Ioanne Friderico (sanctissime memoria) haud ita
pridem in libertatem restituto, quae controuersa esse
B pote-

poterant, a quibus conditionibus transigit, facta in suber
 pactione, ut fœdus gentilitium, ante annos centum &
 amplius, inter Saxoniam, Brandenburgicam & Has-
 siacem familiam initum, renouetur: quod anno se-
 quente altero in frequenti ad Numburgum conuentu
 solenniter factitatum legimus. In has cogitationes
 pacis reliquo etiam tempore nihilo segnus incubuit.
 Quod in illo studium admiratus Ferdinandus, qui
 Caroli fratris absentis vices in Imperio tum obibat,
 statim complecti nostrum Principem, & ad grauissi-
 marum causarum deliberationes præ cæteris eundem
 adhibere cepit. Ne alia hoc loco commemoranda mi-
 hi sint, quinquagesimi quinti anni, anni omnium se-
 culorum memoria dignissimi, historiam in mentem
 nobis reuoco. Erant tum Augusta indicta comitia
 ab Imperatore ad constituendas pacis pro Religione
 conditiones publicas. Quo tamen si ab Imperatore &
 Rege principes omnes per literas & internuntios e-
 rant euocati: in primis tamen Augustum iterum atq;
 iterum sollicitauit, ut hunc in deliberando isto grauis-
 simo negotio habere posset complicem: Fuerunt tum
 graves causæ, ob quas & huic, & aliis Principibus
 abesse à comitijs satius visum fuit. Veruntamen ut
 causam pacis publicæ pro virili promoueret, missis ad
 comitia

comitia legatis, Regi Ferdinando, Imperatoris vices
administranti, confessionis Augustana doctrinam
omni conatu & excusat & commendat: & ut huius
professoribus de pace publica caveatur, quanta potest,
animo, precum & persuasionem contentione instat.
Velim in hac causa unum quiddam obseruetis, ma-
ximi momenti beneficiū. Fuerat triennio antè a fratre
Mauritio (quem hoc loco summi honoris causa no-
mino) Passauij proposita in huius negotij tractatione
conditio, si fortasse dissidium religionis non posset con-
ciliari, ut nihilominus pax consisteret firma rataq;
inter Pontificios & nostrates, donec integrè res ali-
quando componeretur. Hanc conditionem Cesar-
tūm admittere noluit, sic ratus fieri oportere, ut habi-
to Concilio, Religio nostra, falsitatis condemnata, pa-
cis beneficio nusquam frueretur, nisi diuersum reliquis
Imperij ordinibus videretur. Planè pontificiis intole-
rabilis visa fuit hac conditio. Postquam de pace
firmanda, & quocunq; etiam concilij Tridentini e-
uentu, perpetuis legibus in Imperio stabilienda, graui-
ter & nervosè apud Ferdinandum Augustus per le-
gatos quarta Feb. die institit: re ista postridiè à Ferdi-
nando ad ordines Imperij relata, cum reliquis Princi-
pibus obtinuit tandem, ut de perpetua Religionis (ut

loquuntur) pace, non pari omnium Pontificiorum voluntate, inuiolabili decreto sit sancitum. Pro quo uno beneficio, si nos sanctissimo Principi immortales debere gratias dixerimus: officio nostro, atq; ipsa aequitate nihil planè indignum profitebimur. Hoc pacis, de qua loquimur, studium, Principi isti ita semper cordi, ita cura fuit, ut proprium eius quodammodo fuisse uideri queat. Quàm hoc verò latè pateat beneficium: nemo prudens non intelligit. Sic enim factum est, ut fructus huius studij non ad subditos tantum optatus redierit: sed ad externos quoq; amplissimus peruenerit: imò ex hoc uno Principe publica tranquillitas commoda ad uniuersum orbem Christianum emanarint. Notum est, opinor, omnibus, quantum de constituendis inter Arctooos Reges pacis conditionibus aliquoties & laborarit solus, & cum aliis etiam presterit. Ad tuendam, & sicubi, lesa fuit, restaurandam amplissimi in Imperio Romano Septemuiralis ordinis concordiam, quanta solitudine Elector noster incubuerit: utinam ne nunc agnoscamus modò, aut rite (saltem agnoscamus, postquam quod in potestate bonum habuimus, id (proh dolor) amisimus. Iam Principibus aliis non tantum exemplo suo permonendis, sed si qui etiam ferociores reperiabantur, auctori-

tate

tate sua demulcendis, atq; ad consilia moderatiora
inflectendis, vel unus plurimum semper valuit, quip-
pe quo Principum ingenia nemo aut norat melius,
aut benignius ea alebat. Fingite in hoc uno Principe
semel exarsisse belli cupiditatem: an fieri poterat, quin
tota inflammaretur Germania, & sublimis hæc po-
tentia mole sua, omnia Imperij fundamenta euerte-
ret? Itaq; dum pacem tam constanter coluit: omnibus
quasi quiete habitandi asylum præbuit, & vere arbor
fuit patula, quæ dulcissimam tranquillitatis um-
bram quàm plurimis exhibuit.

Fortasse erunt, qui hæc aspernabuntur, & hoc no-
mine spernent hunc sanctissimum Principem, ut sunt
hominum mores eorum, qui nullam salutem paci di-
cunt, & ad quorum opinionem nihil est humiliter in-
nocentia. Tali animo opinor, fuit Darius, Xerxis pa-
ter, qui paci bellum præferens, ex præliis & rebus aspe-
ris se prudentiorem fieri asserebat, ut suam prudenti-
am Reipub. nimio constare ostenderet, quam commo-
dius longè ex præceptis Philosophiæ, si vellet, poterat
acquirere. Sic hodie Centauri existimant & grassato-
res Cyclopici, eos, qui leges sanctas habent, & equita-
te omnia metiuntur: non consilio, sed imbecillitate,
non iudicio, sed ignavia abstinere ab iniuria, atq; eos,

B 3 qui

qui impunitate proposita non contendunt, ut per fas
nefasq; ad maiora ascendant, homines esse pusilli &
abiectioni animi iudicant, hoc est, cum praeclaris illis et h-
nicorum heroibus, hanc unam gloria comparanda
rationem probant, quae in vi atq; audacia consistit. Hos
ego improbos aequi boniq; aestimatores, indignos ha-
rum laudum theatro existimo, eosdemq; istorum cele-
brium quidem, sed minimè laudatorum, quos miran-
tur, heroum virtuti accenseo, Darios, Cyros, Xerxes,
Philippos atq; Alexandros illos, quos appellant, ma-
gnos intelligo: quos ego omnes, quanti quanti vide-
antur, si virtutem veram spectes, ne in minimam
quidem partem laudum sanctissimi nostri Principis
admitto. Quid enim Alexander ille, non tam verè
magnus, quam orbi pestilens, vera laude dignum præ-
stitit, dum iniustis armis orbem terrarum peragravit
& innumeros populos, à quibus nondum agnitus, ne-
dum laesus fuerat, euertendo, nominis sui fama mun-
dum implevit: sed non vera gloria: qui si ab iniuria
abstinuisset, ne tenuis quidem eius rumusculus ad nos
usq; pervenisset, imò nomen eius vix ad unius seculi
notitiam accessisset: ut non immeritò, quo die natus
est templum Dianae Ephesinae conflagrarit: & poenam
luerit Diana, quod Alexandro nascenti tam diligen-
ter

ter fuisset obstetricata. Estne nostrum, audit oves optimum, quisquam ita à virtute recta & ratione alienus, ut hac in virtute computet? Alexandrum ferunt ætatis anno tricesimo secundo, subactis plerisque mundi regionibus, dubitasse, quid in reliquum vitæ tempus factururus esset. Hoc cum audiisset quondam Augustus primus ille Romanorum Imperator, miratum dixisse perhibent, cur non Alexander manus opus iudicaret, partem imperium bene gubernare: quam amplam ditionem comparare. Rectè quidem ille inexcusablem Alexandri ambitionem & libidinem dominandi perstrinxit hoc dictorio: sed idem non vidit, quod Augustum nostrum & vidisse, & sensisse diximus: Ne quidem bene posse gubernari imperium, quod non bene partum esset. Certè qui pacis & iustitiæ laudem amittit, quocumque eam pretio vendiderit, si viribus ad iniuriam sit abusus, laudem apud bonos & æquos non merebitur. Sæpè numero animum meum subiit mirari, quid sit, cur titulorum gloria triumphantes Reges atque Principes, gloriosi, fortes, magni, invicti audire gestiètes, pauci reperti sint, qui à pace & iustitiæ laudem nominis aucupati sint. Scrupulum istum Antigonus Rex penitus mihi exemit, qui Sophista cuidam, librum de iustitiâ inscriptum

ptum, sibi offerenti respondit: Nugaris, cum apud me
de iustitia differas, quem vides armis alienas urbes
inuadentem. Nostrum autem beatissimum Prin-
cipem, ad pacis artes natum quasi sic rectoratio &
consilium ad iustitiam inflexit, ut laudem utriusq;
inimicis etiam extorserit: apud reliquos omnes tan-
tam utriusq; existimationem sustinuerit, ut hoc Pa-
trono nemo non se pace frui posse autumarit: vix au-
tem vlla in Imperio tam grauis caussa fuerit, in qua
non arbitri huius iudicium, oraculum instar habi-
tum sit: aut vlla tam atrox audita calamitas, in
qua non oppressis atq; afflictis lenationem Princeps
iste prestiterit: seu, ut Propheta loquuntur, paxilli
instar fuerit, in quem afflictis pleriq; omnes onera sua
conjecerint. Proinde quod viuus ipse sumere sibi
minimè voluit: at studio tamen indefesso abunde me-
ruit: hoc gratis elogiis mortuo nunc tribuimus, & te
Diue Auguste Pacificum solenni ritu nuncupamus
tibi, Euge iuste, dicimus, & non dubitamus, quin hec
nuncupatio omnibus, si quæ sunt futura, seculis, rata
permanens sit.

Quæ non sic tamen quisquam interpretabitur,
quasi quò magis de pace & tranquillitate laboratum
est, eò magis impune grassata sit improbitas: ut solet
magna-

2.23.
1.15.
10.4.

magnatum lenitate & patientia facile ad licentiam
abuti petulans multorum nequitia: & sic etiam re-
missus esse interdum nonnullorum principum ani-
mus, ut per ipsos quiduis penè civis impune liceat.
Hoc Claudio Casari vitio versum fuisse proditum est hi-
storiis, qui peculatu Narcissum & Pallantem, & a-
lium quendam adulteris & flagitiis aliis, se conscio,
famosum, non prohibuit, neq; quicquam aliud, nisi
monuit, ut aut parcius & atule indulgeret, aut certè
cautius. Hac stolidi lenitate id consecutus est deniq;
ut Graculus quidam causam agens apud Claudium
inter altercandum hanc illi vocem emisit in faciem:
νεῖ οὐ γέρον ἐὶ νεῖ μωρος, & tu senexes, & stultus: ut non
potest nisi vile scere auctoritas, quorum nimis indulgēs
est ac remissa animi lenitas: imò affatim exunda-
re necesse est flagitia, ubi scelerum inualuit impunitas.
At enim quod apud Demosthenem Æschines dicit:
ἐδὲν ὄφελος πολιτείας, μὴ ἐχέσθαι νεύρα. Ἰπὶ τῆς ἀδικεῖας.
Certè quidem quod Fronto Consul Romanus Ner-
va Cocceio Imperatori dixit, Malum est quidem im-
perare eum, sub quo nemini quicquam licet: sed lon-
ge peius est sub eo vivere, sub quo sit maxima quibus-
libet licentia. Planè eadem mente Augustus noster
fuit. Finxerat hunc quidem natura quodammodo ad
C mirabi-

mirabile pacis studium, ut nativam quasi videretur
illi lenitas. Quod tamen vix maior in illo vis naturæ
esse potuit, quam pietatis & prudentia fuit, quæ sanè
fuit in illo maxima: mirabili plane virtutum ista-
rum temperamento effectum est, ut neq; mansuetudo
virtutis ardentem Zelum excluderet: & odium sce-
lerum ac iustitia cum lenitate, suavissimo atq; in-
dividuo nexu se coniungeret, hoc est, esset simul &
Φιλήσοχος & Δραστήσιος, quod Lacædemoniis tribuit Thu-
cydides. Quod ego sermone congruo exprimere in re
magna vix possum: id planissimis verbis & viuo
quasi typo vates Regius complexus est in hunc mo-
dum, Misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iusti-
tia & pax se inuicem osculatae sunt.

5. 11.

Quamuis ergo natura magis esset ad lenitatem
propensus heros noster inclytus, quam ad severitatem:
virtutis tamen flagrantissimus amor eos illi stimu-
los adiecit, ut improbis & flagitiosis vix quisquam
magis esset infestus: certè quidem in sceleribus ἀπερω-
πολητικῶς vindicandis ita esset acer atq; strenuus, ut
haud immeritò dubitet quispiam, magisne mansue-
tudinem virtutis zelus acuerit, an iusticiam mode-
ratio commendarit. Obstupefcunt Itali, horrent Galli
& Hispani, exteri prope omnes demirantur, capitalia
sub

sub hoc Principe supplicia in adulteros statuta: homici-
cidis & periuris vix ullam spem impunitatis per
constitutiones publicas relictam esse. Vt mirari hanc
iustitiam desinatis miseri, hoc est, quod virtutis amor
efficit: non odit flagitia, quisquis in ea, cum potest,
non strenuè animaduertit: & quod Catonem senio-
rem dixisse referunt, malle debet pro collato beneficio
Princeps nullam reportare gratiam: quàm pro male-
ficio perpetrato non infligere pœnam. Taceo id quod
Augustum nostrum subinde sibi occinuisse referunt; 2. Par. 1.
Videte iudices quid faciatis. Non enim hominis ex-
ercetis iudicium: sed Dei, quod à Iosaphato Rege
magistratibus inculcatum fuisse sacra oracula com-
memorât. Grassabantur ante hæc tempora passim fe-
rè per Germaniam latrunculi, quorum insidiis qua-
qua versum infesta erant via publicæ. Exoriebantur
Harpyia, quæ sacrum Bacchi nomen, aut auri potius
sacram famem, sacra paci præferentes, insidiis plena
periculisq; reddebant omnia, & terra cælum miscen-
tes turbantesq; omnia, in ordinem sese redigi nullo
modo patiebantur. Hic in salute publica procuranda,
atq; Imperij maiestate & consiliis & auxiliis adiu-
uanda, molitionibus turbulentis eludendis, con-
spirationibus seditiosis opprimendis, quæ certam

Germania *παινολεθρίαν* attulissent, & nisi maturè obui-
am fuisset itum, civili sanguine omnia respersissent,
hic inquam summa cura Principis nostri & labor
propè immensus enituit.

Faciet hic fortasse nobis aliquis calumniam, quod
nō à civili bello, eodemq; penè intestino, abstinuerit. Id
sanè nobis ingenue fatendum est. Sed enim quis illud
Ecclesiasticis nescit, tempus belli est, & tempus pacis?
Quis nescit, arbitrium pacis belliq; non penes quem-
uis nostrum, sed, quod vulgò dicere consuevimus, pe-
nes vicinum esse. Bello, dum vixit, Princeps noster v-
ni duntaxat interfuit: imò potius præsuit etiam.
Nam quod iuuenis adhuc castra Caesaris est secutus,
id lubens pratero. Ab illo verò, cui præsuit, bello quàm
grauiter abhorruerit, paucis, opinor, est incognitum.
Quod tamen auctoritatē Imperij detrectare non lice-
ret & Imperator mandati ab Imperio dudum acce-
pti subinde illum admonere, urgere, impellere non de-
sineret: publicum Imperij mandatum exequi tandem
suscepta expeditione est aggressus. Neq; tamen sta-
tim ipse ad castra sese contulit. Cum verò bellum
minimè ex sententia ducis absentis administraretur,
plerisq; in rapinam magis & prædam, quàm obsidio-
nem intentis: equum sibi insterni iubet, atq; ipse in
castra

castra proficiscitur. Jam hic quia momento temporis
maxima in utramvis partem inclinationes fieri
possunt, & nimis est periculosum in rebus bellicis
ullam rei bene gerenda occasionem prætermittere: ti-
midi autem & ignavi hominis est, præteritam fa-
cultatem frustra lamentari: quod parum abfuit, quin
in bello Turcico nuper factum esset: gnauiter sane in
belli curam Princeps noster incubuit, atq; ita illud di-
es noctesq; continuauit, ut vix tempus ullum reficiē-
di corporis gratia sibi sumendum existimaret: ut fuit
semper in rebus, quas susceperat, gerendis omnibus
admiraculum usq; sedulus. Verum quia non armis
magis, quam precibus tum pugnabat, quod precum
formula testantur, quas ab ipso tum compositas, ac
quotidie pronuntiari solitas aliquando me videre
memini: id obtinuit apud Deum dux belli pius, quod
optauit unice, ut & quam breuissimo tempore confi-
ceretur bellum istud: & eorum, qui in fontes erant,
quam minimo, aut nullo potius, si fieri queat, consta-
ret sanguine. Confectum est igitur bellum ex ani-
mi sententia, statutaq; sunt in aliquos supplicia,
quos constitit aut parum obsequentes esse, aut perni-
ciem in Rempub. machinari. Sed sic & decretum
fuerat ab Imperio: & ita fieri necessum fuit, ut Im-

perio maiestas sua, & Principi etiam nostro vita sa-
lusq; tuta esse atq; salva posset. Aliàs id de ia-
Etare potuit, quòd nemo propter ipsum pullam vestem
unquam gestasset. Cum enim natura esset mansue-
tissimus, & à crudelitate ac seuitia alienissimus:
vix eum ad seueritatem nisi extrema malitia & de-
sperata quasi improbitas commouere potuit. In qua
tamen cum lento gradu ad vindictam procederet:
tarditatem interdum supplicij grauitate compensa-
bat, quod diuinum esse haud inscite olim quidam pro-
nuntiauit. Ex hoc studio tantam in Imperio laudem
est adeptus, ut iustitia vindex atq; assertor passim ha-
beretur: domi & apud suos id est consecutus, ut &
qui magnis opibus insolentius efferebantur, illius in
vindicando seueritatem pertimescerent: & qui pro-
pter humilitatem obnoxij erant iniuria, patrocinio
illius vitam securè traducerent. Hoc est, quod in
suo Achille commendat Homerus, qui fuerit:
Ἀμφοτέρων βασιλεύσσι ἀγαθός, κατὰ πρόσθε ἀρχηγός. Strenuus
in bellis, imperioq; bonus.

11. Hic iam id in mentem venit mihi, quod est à
sanctissimo psalte & vate regio de Christi regno pro-
15. nunciatum, Iustitia & iudicium preparatio sedis tue.
Esto sanè, quod contendunt pleriq;, ut hoc Christo
præci-

praecipue competat encomium cui pacis & iustitiae
laudem vates sanctus asserat, quo consilio scriptum esse
psalmum istum nemo pius ambigit. Non est tamen
in Scripturis infrequens, ut sub laudibus Christi, stu-
dia populi eius contineantur, atque id fideles pii docean-
tur, quibus potissimum studiis ipsorum futurum sit,
ut laudes Christi floreant inter homines, & regnum
eius quam latissime propagetur. Hoc sensu, pulcherri-
mam nobis doctrinam Davidis locus subiicit, Iustitiae
nimirum & pacis studio fieri quam maxime, ut sedes
Christo prepararetur, hoc est, doctrina salutaris & religi-
oni locus concedatur & Ecclesia tranquillis fruatur
halcyoniis. Hic verè demum illustres, adeoque summas
Augusti beatissimi laudes aggredimur. Vt verum est
magnoperè, quod à Graecis dici solet, ^{Νοσθὸν καὶ εὐσεβῆ}
^{τὴν θεῶν} & vix unquam fieri solet, ut in male consti-
tuta Repub bene habeat Religio: ita certum est, tum
rectè & feliciter Religioni posse consuli, si non sit in quo
pernitiose laboret Respublica. Iam verò ad hunc scopum
Princeps noster piissimus studia pacis ac iustitiae sum-
ma contentione retulit: atque in ea cura toto vita tempo-
re sic elaboravit, ut quamvis nullius virtutis summa
laude non floreret: singulari tamen & mirifico Religio-
nis non conservandae tantum, sed & propagandae stu-
dio, palmam facile inter omnes ferret. Mature se quidè

huius virtutis in isto Principe indicia proferebant
haud obscura, saltem in eo, quod in Mersburgensis di-
tionis administratione edidit, specimine. Cum enim
adolescens adhuc, annum aetatis agens octauum, ni
fallor, decimum, administrationem istam subiisset,
atq; ita tum temporis, cum vero illo pietatis, inter
Principes, miraculo, Georgio Principe Anbaldino
sanctissimo, prouincia illius partitas haberet operas,
ut ipsi quidem incumberet gubernatio politica, cura
Ecclesiae regendae Georgio Anbaldino esset imposita:
sic illum tum religioni reformendae & pontificiae ido-
lomaniae aueruncanda inuigilasse aiunt, ut inde po-
steris etiam temporibus amplissimus ad eam ditio-
nem fructus redierit. Meministi quanto studio Re-
ligionis causam publicam apud Ferdinandum Re-
gem egerit, cum annis ab hinc uno & triginta de pa-
ce ob Religionem constituenda, Augusta suscepta es-
set deliberatio.

Cum anno M. D. LIX, in conuentu Augustano
obiectum esset Principibus Euangelicis, nullos ferè
Confessionem Augustanam retinere: id quod tum ex
dissidiis nostrorum Theologorum, tum ex libellorum,
titulo huius Confessionis editorum, diuersitate appa-
reat; quo nomine pactis cum Carolo V. Imperatore
initis

initis non starent Evangelici, & à pacis publicæ legibus & beneficio se excluderent: iustissimo consilio motus Elector noster, atq; in eo à laudatissimo & omnium seculorum memoria dignissimo Duce VVirtembergico, Christophoro, adiutus, conuentum Evangelicorum Principum Naumburgi indixit, ubi de remediis ingrauescentium in nostris Ecclesiis malorum in publicum omnes consulerent. Vbi ad 20. Jan. A. 1561. eò se Illustriss: noster Elector contulerat: conuenerunt statim apud ipsum, Fridericus Elector, & VVolfgangus Palatini, Ioannes Fridericus Saxo, Ulricus Megapol., Christophorus VVirtemberg. Ernestus & Philippus Brunf., Philippus Hassus, Carolus Badens., Georgius Ernestus Henneberg. Principes: reliqui omnes miserāt legatos. Cum passim vetustissima Augustana confessionis exēplaria conquirerentur & tum non posset ad manū esse, ipsum, quod Augusta Carolo oblatū fuerat, archetypum: conclusum fuit communi consensu, ut propter grauissimas causas, vel à primo, si id haberi queat, archetypo, vel si id desit, ab Antiquissima Augustana confessionis formula, quæ A. 31. Vitebergæ fuerat edita, non fieret discessio: & hæc sola pro symbolo confessionis nostrarum Ecclesiarum constituta, à singulis Principibus subscriptione comprobata, &

D

con-

contra calumnias Pontificiorum typis promulgata
cum praefatione ad Ferdinandum Imperatorem diri-
geretur. O altam generosamq; & verè augustam
mentem, quae se tam salutaribus consiliis, tamq; pa-
terna Ecclesiae cura occupari patitur. Neq; enim vul-
gares, et humi repentes, atq; in perpetuo voluptatum
volutabro demersos animos incessit haec cura purgan-
da, conservanda, propaganda Religionis. Priusquam
ad maiora hinc discedam, memorabile vobis, & he-
roicum planè Principis nostri factum commemora-
bo. Venerant, ut solent, non vocati ad hunc conven-
tum, Pontificis etiam Romani legati duo, Zachari-
as Delphinus Episcopus Pharensis in Dalmatia &
Franciscus Commardonus, Episcopus Zacynthius,
uterg; Venetus: & praeter caetera, de Pontificis erga
Principes istos & Germaniam affectione singulari
publicè in concessis Principum multa contestati, ad
Concilium, quod Pontifex iterum tum indixerat,
Tridentinum, vel ipsos Principes, vel eorum certè
Theologos, evocarant. Vbi peroratum erat, secedere
iussi legati isti, dum de responso deliberarēt Principes:
litteras Pontificias Electori nostro, ut & singulis reli-
quis Principibus inscriptas exhibent atq; offerunt.
Cum in litterarum Papalium inscriptione se à Papa
Filium dilectum nominari cerneret, litteras istas planè
ape-

aperire noluit, nedum legere. Quod exemplum reliqui
Principes imitati, Papa literas omnes non resignatas
legatis mox remittunt, ut stolidi Pontificis fatuitas,
paterni tituli honorem in Germanos Principes non
esse sibi arrogandum disceret, & filios atq; nepotes su-
os, non in illustri Germanorum Principum genere:
sed in putidissimo illo suo, quod inhabitat, Italia pro-
stibulo quarendos esse intelligeret. Sed ut unde digres-
sa est, eo se recipiat, atq; ad maiora etiam assurgat, o-
ratio. Contigit superioribus annis perfidia quorun-
dam ut in harum regionum scholas & Ecclesias purio-
ris doctrina depravatio irrepserit, & pijsimo Princi-
pe inscio, Saxonia, ac nobilis hac nostra Viteberga præ-
cipue, vera Evangelica doctrina metropolis, eam, in-
iuria temporum, passa sit calamitate, ut, quemadmodum
liber legis olim in Iudæa, atq; ipso etiã templo Ierosoly-
mitano deperierat: sic purior Lutheri doctrina inde 4. Reg. 2
etiam, ubi ceperat, amissa exularet. Cum ibi nescio
quis Helkias librum legis in domo Domini reperisset,
& de hoc ad Iosiam istum nostrum retulisset, id est,
Principem optimum de pura doctrina, ex Ecclesiis
istis atq; scholis furtim ablata, edocuisse: ego vel meo
cum periculo non concesserim modò: verum etiã con-
tenderim, vix maiorem potuisse esse Iosie dolorem ob
amissum librum legis, aut maius eiusdẽ gaudiũ de reper-
to eodẽ: quàm nostri Iosie Augusti dolor fuit de clam

mutato, & furtim depravato doctrinæ genere, aut vicissim gaudium eius fuit de pristina doctrina restoratione. Hoc quidem verum est, ut priscus ille Iosias nihil prius habuit reperto legis libro, aut antiquius, quam ut extirpatis omnibus profanationibus templi & idolis, atq; Religione repurgata, ex præscripto legis populus Deum coleret: ita Principem nostrum nulla de re unquam laborasse vehementius, quam ut expulsis occultarum depravationum magistris, orthodoxa Christi doctrina, ab ipsis primæ reformationis authoribus tradita & propagata, ab exilio quasi reuocata, ad pristinam sedem, & suam quasi metropolim rediret.

Deniq; cum ita Ecclesias nostras esse dissipatas, toto iam seculo Pontificij calumniarentur, ut nulla esset, cui cum altera in doctrina conveniret: & sanè ecclesias nostras infelicia quedam dissidia aliquandiu graviter exercuissent, quod esse nonnullis malum in desperatis habendum visum fuit: diuino planè instinctu in eam cogitationem incidit, qua suscipere magis salutarem mortaliū nemo potuit, ut discussis iis, quæ dissidium hætenus pepererant, dissidiis, exacte q; ponderatis omnib. rationibus, ea constitueretur de præcipuis controuersis concordia formula, cui vel
omnes

omnes Ecclesiarum nostrarum & Principes & Do-
ctores: vel plurimi certè subscriberent. Nunquid hac
ad auditum non ardua ac difficilis, ad cogitationem
non impossibilis videri queat meditatio? Ita est pro-
fectò, & certè spe omni hoc consilium maius videba-
tur plurimis. At qui verò iam vobis, & toti orbi no-
tum & compertum est, quò usq; in hoc negotio pro-
cesserit quantum consecutus sit, quid presterit, id ni-
mirum, cuius causa innumera gaudent Ecclesie, læ-
tantur in cælis ipsi angeli, fremit autem atq; indigna-
tur mundus & Diabolus. Quod opus laboris profectò
immensi, sumptus autem maximi, tametsi plenius
esse quorundam non passa est vel invidia, vel ambitio:
nos tamen in divina voluntate, quæ harum rerum
summa atq; unica moderatrix est, facile acquiesci-
mus. Tibi autem Diue Auguste, religiosa concordie
dux atq; author post Deum primarie, pro hoc uno in
Ecclesiam & Religionem summo beneficio, tantas
imo pectore habemus gratias, agemusq; dum vixeri-
mus, quantas homini inter mortales nemini.

Quod si iam exquiram à vobis, quanam tantum
Principem fortuna dignum iudicetis? omnes dubie
hand respondebitis maxima Dicitur non potest, auditores
optimi, quam hic iudicia vestra cum divina mentis

D 3 decre-

IIII.

decreto præclare congruant. Quid est enim in omni felicitate præclarum, quid in omni splendore egregium & magnificum, quid in potentia magnum, quid in dignitate omni insigne atq; excellens, quid deniq; in omni bonorum genere præstans atq; eximium, quod in hunc Principem Deus non liberalissime effuderit? Nolo hic singula commemorare, ne invidiam potius, quàm admirationem excitem, ut est plerumq; insignis felicitatis comes invidia. Id velim mecum perpendatis, quod ego in primaria felicitatis parte collocandum puto, quod bonis aliis quam plurimis hoc accessit, ut & optimi quiq; Principem istum maximi facerent, etiam inter potentissimos: & si qui mali odisse eum cœpissent, divino patrocínio protectum mirabiliter, metuendum esse, & ceu numini parcendum, aut re ipsa edocti mature intelligerent: aut malo suo tandem serò experirentur. Quid fuit honorificis salutationibus, officiosis donationibus, letis gratulationibus, amicis legationibus, ab omnis ordinis hominibus in aula Augusta frequentius? Res secunda erant: sua cum hoc Principe gaudia omnes communicabant: aduersi aliquid contigerat: in huius sinum omnia effundebant & quod Architas quidam, referente Aristotele, dixisse perhibetur: Idem esse bonum Principem, quod aram, quia ad utrumq; confugiant, qui vi atq; iniuriis opprimantur: id verum esse Princeps

noster expertus est. Curia eius tembli instar erat, patens omnib. responsa eius cuncti pro oraculis habebat: in patrocinio eius asyllum, in nomine ipso Augusti, sacrã quasi anchorã sibi omnes positam opinabantur. Deum immortalem, quot tibi Auguste beatissime corona, quod laudes, quot triumphi parati erunt in die nouissimo, ab iis, qui corã illo tribunali summo, tuã opẽ quã senserunt, auxilia, quã experti sunt, clementiã qua seruati sunt, pleno ore, magnãq; voce predicabũt. Sed ad aulã Principis nostri redeo. Huc ergo tanquã ad summam Regiã crebris itationib. ab omni hominũ genere vëtũ, concursũ, aduolatũ fuit. Itaq; in hoc Principe quasi imaginem & compendiũ cernere licebat totius Imperij Rom., cuius oculum, cuius aurem, cuius os & manum, cuius mentẽ deniq; esse hunc Principem facile omnes agnoscebãt. Equidem Imper: ipse non fuit, neq; esse, si potuisset, unquam voluit. Sed is fuit tamen, cuius opera & arbitrio ad hoc fastigium sibi aspirandũ esse, alij facile intelligerent. Certẽ quidẽ Ferdinandus cum de successione Imperij ad filiũ transferẽda laboraret, quod Francofurti ad Mœnum A. 1562. obtinuit: in huius Principis auctoritate maximũ esse huius rei momentũ collocatũ sapienter arbitratus est. Quid hoc nomine Maximilianus Augusto se debere agnouerit, idemq; in pari consilio à Principe nostro consecutus sit, satis est in Imperio, opinor, cognitum.

Id hoc loco dissimulare me non patitur rei ipsius dignitas, quod ut iucundissima, & plusquam fraterna semper fuit inter Maximilianum & Augustum animorum, voluntatum, studiorum, officiorumque coniuncto (quæ tum quidem primarius Imperij nervus & firmamentum esse à prudentibus iudicabatur) ita huius benevolentia à Maximiliano evidens indicium esse editum in eo, quod moriturus Augusto filios suos ita commendavit, ut eum suo loco patrem eorundem patronumque optimum constituerit. Hunc Maximilianum quamvis Augustus noster ut amicum dilexit unice: ut Imperatorem tamen sic coluit, ut mortui exequiis, honoris causa parentationem publicam in sua ditione instituerit. Quam vicem gratitudinis nos etiam in acerbissimo hoc luctu nostro ab istis expectamus, speramus, reposcimus.

Quò illud etiam referendum iudico, quod est, nisi fallor, vera felicitatis argumentum maximum, quod cum tam illustris fortuna non posset non esse variis multorum odiis obnoxia: Deus opt. max. piissimum hunc Principem ita suscepit protegendum, ita angelico presidio defendendum, ut quod Iosue Deus presterat, hic nihilo minus sit expertus, Dei nimirum presentis evidens patrocinium in omnibus, ad quæcumque
per-

perreerat. Quod equidem cunctatius dicerem, ne cui
magis ex affectu meo, quam ex ipsa rei veritate viderer
dicere. nisi me huc exempla pertraherent vulgò etiam no-
tissima. Nam si coniectura non potestis assequi, quantis
iste, quem dixi, pacis patronus, iustitiae vindex, religionis
assertor, periculis atq; insidiis fuerit obnoxius: quoties de-
prehensi sunt latrunculi & sicarij, mercede in hoc
conducti, ut Electorem vel peregrè domum redeuntem,
vel domi etiam incautus, ac ferè sine satellitio pellustrã-
tem sylvas, aut feras insectantem, globo ex insidiis traji-
cerent: Ad quam cadem, parricidio atrociorè à suo in-
felici hero infelix ille Iohannes Boemus, sclopeto etiam
instructus fuerat, atq; ad facinus istud perpetrandum
non semel in latebris & speluncis sylvarum delituerat.
Quas tamen omnes insidias Deus irritas esse, & plerumq;
ipsis etiã authoribus perniciosas voluit: quodq; in primis
observandum est, plerumq; non maius in patrocinio bene-
ficio, quam in discussis insidiis miraculum prestitit.
Nam vel instrumenta ad parridium comparata la-
trunculis istis operã suã mirabiliter denegarunt: vel Pa-
nicus quispiam terror illis cadem molientib. repente est in-
cussus: vel priusquam sese ad insidias cõparassent, divino
iudicio, aliud plerumq; agentes, deprehensi sunt. Tibi ergò
Auguste beatissime haud dubiè dictum fuit ab angelo,
quod Dauidi olim dixerat Abigail, Si surrexerit homo
E perse-

persequens te, & querens animam tuam, erit anima
Domini mei quasi in fasciculo vitentium, apud Domi-
num Deum tuum: porro inimicorum tuorum animam ceu
funda iactu à sese Dominus proijciat. Certè si in humanis
rebus vlla potest extare felicitas, felicissimum fuisse Au-
gustum istum pra omnibus adeò mortalibus existiman-
dum est.

Nolo hic obijciat mihi quisquam eas, cum quibus no-
ster Princeps interim etiam conflictatus est, arumnas
& afflictiones. Equidem ista minimè inficior: quin poti-
us ingenuè profiteor, si arumnas & tribulationes percense-
re libeat, pra ceteris multis Principibus hunc nostrum fu-
isse afflictissimum. Fuit hac, de qua dixi modo, profectò
haud exigua afflictio, quod vitam & caput suum tam
varie ex insidiis peti non ignoravit. Aliquoties eum gra-
uissimè exercuit, ut vix quenquam alium Principem,
clientum & ministrorum, quibus fidissimis uti eum par-
fuerat, perfidia. Non defuerunt etiam morbi & infirmi-
tates, non crapula tamen aut libidine contracta: sed cu-
rarum gravitate, & laborum multitudine accersita. Nec
illa sanè minima fuit afflictio, quod maximam libe-
rorum partem, & in his filios potissimum, Alexandros, ni
fallor, duos, Magnum etiam unum, ad summa quaeq;
natos, & paterna indolis iam certa indicia ostendentes,
prematura morte sibi adimi conspiceret. Jam dici non po-
test

test, quantoperè illum publica mala & calamitates affli-
xerint. Quotidiè ad eum nuntij perferebantur varia-
rum cladum, quas Respub. Christiana acciperet: perscri-
pta sunt artes, technæ, machinationes, conspirationes,
liga sancta, aut sacrapotius, ut est auri sacra fames: re-
late sunt querelæ & supplicationes exulum, quos Roma-
ni persequerentur. Profectò non grauius Ezechia ani-
mus scissus & conturbatus fuit, cum iam mania Soly- 4.
morum hostis cinxisset Assyrius, quam pectus huius Prin-
cipis fuit sanciatum, cum harum rerum tristissimos nun-
tios acciperet. Taceo eas, quas ex contriti turbatiq; ob
peccata, etiam minutissima, animi tribulationes grauiissi-
mas sustinuit. Neq; enim Centaurorum instar vixit
princeps hic piissimus, qui quæuis admissa peccata vasto
hiatu deuorant, & amplissimo conscientia rictu qualibet
flagitia deglutiunt: sed minima etiam delicta ita deplo-
rauit, quasi grauissimorum criminum reus esset. Accidit
hic illi quod iis usu venire cernimus, qui in clara & ful-
gida Solis luce positi sunt. Nam quemadmodum isti mi-
nutissimos etiam atomos in aère obuolitantes cernunt, ubi
qui in obscuro degunt, paleas etiam aut trabes non conspi-
ciunt: sic iste sanctissimus Princeps, quò in maiori Solis
Iustitiæ, qui Christus est, luce fuit constitutus, eò magis
intra se minima etiam delicta non vidit tantum: sed a-
cerbissimo etiam dolore, & planctu etiam plerunq; prose-

cutus est. Ut sanè afflictionum exors fuisse minimè omnium putandus sit.

Verùm hic ego vos auditores, qui in rebus ab hominum sensu & memoria remotis, legendis & cognoscendis, operam ponitis, ad sacrarum scripturarum oracula, & omnium temporum historiam reuoco. Si intima cordium nostrorum penetralia rimari velimus, fatebimur & grauem nobis auditu videri eius dicti uehementiam; quod Christum dixisse, cum alibi, tum Luc: 14. potissimum legimus, Qui non baiulat crucem suam, & sequitur me: nò potest esse meus discipulus. Veremur enim ne strictius hoc pronuntiatum sit, quàm ut in illustri magnatum fortuna, salua spe salutis ipsorum, locum habere possit. Verùm enim verò si Patriarcharum exempla, si summorum Principum atq; Regum historias pellustremus (de iis loquor, quos Deo seruijsse compertum est) nullos reperiemus, qui quacunq; etiam in fortuna immunes fuerint ab arumnis, quas utili remedio esse posse optimis etiam quibusq; Deus rectissime intelligit. Quo minus mirum est, si in summa etiam felicitate Princeps noster ab afflictionibus non immunis fuit, iis presertim qui & ex causa iusta proueniebant: & usum habebant ad fidei exercitia amplissimum, imò etiam presentia & gratia diuina, si nihil fuisset aliud, testimonium euidens continebāt.

Quod tum demum maximè fatebimur, si quo animo
istas

ist as arumnas pertulerit, cognouerimus. *F*s " autem talis
fuit, ut Iacobi exemplo in priuatis afflictionibus & bona
& mala moderatè semper æquòq; animo perferenda dice-
ret, & ut facere in primis fas est, ad iudicium numinis
diuini, quod falli non posset, omnia reuocaret, & Deo
semper ageret gratias, quod variis rationibus efficeret, ne
propter opes & potentiam insolesceret. In publicis cala-
mitatibus, iis præsertim, quibus Ecclesia ruinã moliri ad-
uersarios perciperet, vix unquam grauius commotus fu-
isse visus est, quam ut eos, qui pacem violarent, bello peri-
turos, & Deum sanguinaria consilia elusurum esse dice-
ret, Religionis causam viribus humanis non consistere,
iisdem etiam non esse perituram ostenderet, & precibus
pietatisq; studio nobis esse in causa optima pugnandum
pronuntiaret, et benè de patrocinio Dei sperandum, cui ille
suam & subditorum suorum salutem committeret. Quid
est autem, quod dici, quod cogitari rectius ac tutius
potuerit? Proinde his omnibus nihil prohibenti-
bus, ad felicitatem summam, quæ quidem cadere in hanc
vitam potest, nihil ipsi defuisse meritò contendimus.

Porro id iam considerationem præcipuè, meretur,
quo nam modo fortuna tam illustri atq; splendida Prin-
ceps noster usus sit. Platonem scribunt à Cyrenensibus ro-
gatum, ut ipsis leges conderet: & formam Reip. consti-
tueret, hoc responso id recusasse, difficile esse, leges scribere,

tam felicibus: subinnuit nimirum eos qui in ampla atq;
illustri fortuna versentur, legum prescriptio, Et monitis
salutaribus agrè parituros. Et sanè videmus, paucissimis
vel mediocrem obtingere fortunam, quin esserantur atq;
insolescant: aut maiori indies habendi libidine corrumpantur. Vt non sit de nihilo, quod Christus pronuntiavit,
^{19.} Difficile esse, ut diues in regnum cælorum ingrediatur.
^{10.} Ab utriusq; criminis labe Princeps noster adeò fuit alienus in summa fortuna ut huius rei laudem iam pridem publicam in Imperio consecutus sit. Mansuetudinis immensa fuit, quod vilissimorum etiam hominum colloquia non detrectavit, si ita ipsorum necessitas requireret. Si qui in publicum prodeunt, scripti aut libellorum supplicum aliquid offerre vellet, eo vultu sese illis spectandum præbebat, qui facile ex ipsorum animis trepidationem omnem expelleret, ne elephanto, quod dicitur, assensum præbere metuerent. Plerunq; autem cum per tempestatem licuit, detecta vectus est lectica, ut ab omnibus potest conspici: non imitatus eos, qui, ut nescio quid diuinitatis redoleant, publicè, etiã suis, vix semel se in anno conspiciendos præbent, nec postea ullis visu faciles, aut dictu affabiles sunt. Quæ grauitas supra conditionem humanam esse videtur. Atq; ut reliqua taceam, ut non dicam quanta fuerit lenitate in suos, benignitate in peregrinos, in inferiores clementia, in superiores obseruantia, comitate
inpa-

in pares, bonitate in omnes: unum vobis exemplum pro-
ponam: vos ex eo de reliqua huius virtutis laude in ipso
coniecturam facite. Annus iam agitur xxvi. ex quo De-
us opt. max. præclarum illud pietatis atq; eruditionis or-
ganum Philippum Melancthonem pia memoria ex hac
lachrymarum valle ad cælestem Academiam, magno
cum huius scholæ mœrore & honorum omnium gemitu e-
uocavit. Cum de luctu Academia Elector noster cogno-
uisset, statim expeditis literis, Academia huius Professo-
res humanissime consolatur, hortatusq; ut mœrori mo-
dum statuant, de sua clementia & paterna in hanc scho-
læ cura liberaliter illis pollicetur. Vix me hic contineo,
quin id quod ipse sum expertus, cum sempiterna inçlyti
herois laude commemorem. Cum superiori anno, diram
passus in patria à Pontificiis persecutionem, in Suevia
misellus considerem: exilio meo cognito, literis humani-
tate plenis ad aniam me clementissime euocat. Post-
quam confecta peregrinatione cum meis istic appulisssem:
poteram ego quidem, & debebam merito libenter acquie-
scere in ea voluntate, cuius erga me per internuntios gra-
uissimos quotidiana ferè indicia ostendebat: maxime cū
præter alia, valetudo etiam tum nondum satis confirma-
ta eum excusaret. Sed quæ in ipso singularis fuit humani-
tas prius non dimisit, quàm ille ad priuatum etiam collo-
quium me accersuisset. Hic non dicam, quanta
hu-

humanitate, dixerim etiam propemodum, humilitate me
exceperit, retinuerit, dimiserit (obstupesco enim quoties
recordor) illud dico, sic eluxisse ex ipsius vultu gestuq; o-
mni summam mansuetudinem, ut magis mihi metuen-
dum fuerit, ne ex admiratione tanta humanitatis obstu-
pescerem: quam ne quod animo conceperam, non possem
verbis promptè eloqui. Vnum est, cuius me, dum vixero,
nulla capiet obliuio.

Cum finito colloquio, & Principe, ut moris est, salu-
tato, iam iam abiturus nihil amplius expectarem: ille
præbita prius iterū dextera, eiusdem deinde motu decussa
to, crucis formans imaginem, plena maiestatis voce, va-
de ergo, inquit, & Vitebergam proficiscere in nomine
Dei: Dominus autem noster Iesus Christus, prosperam
valetudinem & longam vitam tibi largiatur, atq; imple-
at te gratia & benedictione. Amen.

Quid mihi in hac tam felici, tam pia benedictione, a-
nimi fuisse putatis, auditores optimi? an non in mentem
mihi venisse putatis eius beneficii, quod sacerdotes olim
& patriarcha liberis & populo suo in benedictionibus
conferebant? Benedictus sit in omnia secula Dominus,
qui mihi à tanto principe benedici voluit. Tu verò ò Di-
ue Auguste iam cœlesti benedictione frueri, quem pia
mansuetudo & mansuetissima pietas sic aliis benedicere
edocuit.

Iam

Iam quid est verò, quod de huius præstantissimi Mœ-
cenatis in Ecclesiam munificentia, in Scholas liberalita-
te, in pauperes & egenos clementia, beneficentia in omnes
differam, quæ singula tanta sunt, ut & dies & ratio me
destitutura sit, si unum saltem istorum percensendo velim
persequi? Videtis ipsi atq; experimini, quæ ad cultum reli-
gionis faciunt, eum largè & munificè suppeditasse. Scho-
las atq; Academias, non conseruandas tantum: sed au-
gendas, ornandas, cumulandas etiam sibi sumpsit. Nu-
per aureorum quinq; millia in redditus annuos consecra-
uit, ex quibus egentibus defunctorum ministrorum vi-
duis atq; orphanis subsidia decernerentur. Summa ergo
centies millenorum aureorum sit oportet, quos in huius
beneficij usum destinavit: ex quo de beneficentia nostri
Principis nemo non intelligens facile coniecturam capi-
et. Quis est autem eorum, qui operam illi suam præstite-
runt, omnium, qui huius virtutis fructum ex illo non
amplissimum perceperit? Ego quidem ingratus atq; im-
pius sim oportet, si huius in illo laudis predicationem non
immortali memoria consecrem. Iam in Academiam no-
stram non eos tantum sumptus fecit, qui in Illustri colle-
gio partim facti sunt ædificando, partim etiamnum sunt
conseruando, sanè maximi, quorum fructus redit ad a-
lumnos, qui ibidè fouentur 120, sed & communem, quam
vocamus, mensam, mediocriorum frumenti mille annuorum

F

dona-

donatione locupletavit, ut ibi etiam quam plurimi liberalitatis illius fructum aliquem perciperent. Stipendia autem, privilegia, immunitates, atque commoda privatim partim præceptoribus, partim publicè omnibus sic adauxit, ut fateri cogamur, quod res est, quodque liberè & libenter fatemur nunc, prædicabimus autem dum vixerimus, Augustum in hoc præclaro studio promovenda, augenda, ornandaque huius Academia Vitebergica, tanto intervallo, & fundatorem ipsum, & antecessores omnes (quorum omnium memoria sit in benedictione) post se reliquisse, quanto illi ceteros Principes omnes ea parte laudis superarunt. Qui cum impensè esset liberalis in eas res, quas dixi, & homines eos, quorum hoc virtus merebatur: sic tamen moderatus est reliqua, ut ne quid temerè profunderè velle, cuiquam videri posset. Quam n. laudem habere possunt stultorum Principum insana profusiones? præsertim cum ab iis ad expilationem suorum & tyrannidem convertuntur. Augustus ille Rom. Imp. primus militi noctuâ apprehendenti, qua nocte somnū Caesaris interruperat, illico mille nummum dari iussit. Cum ex prælio quodam victor idem reverteretur, civis quispiam eorum docuerat hæc verba sonare: Ave Caesar victor. Hac salutatione Caesar delectatus, aurem 6000. nummum emit. Profuderat Nero in ludos & spectacula, in scurras & pantonimos, quanta Principum nemo. At idem magistrati-

gistratibus cum Imperio in prouincias proficiscentibus,
illud subinde in aurem susurrebat, Scis quid mihi opus
sit? Fac ut ne quis quid habeat. Illa Augusti Romani
stulta fuit profusio: hac Neronis in malam crucem abe-
at prodigalitas: à piis Principibus, præcipue nostro Prin-
cipe longè remotissima. Porro ut in nostro Augusto per-
sequar, quod superest, nihil ab actionibus publicis privati-
mores discreparunt: sed ut publica virtus plena maiesta-
tis & decoris: ita interior vita plena dignitatis fuit &
modestia. Ομοίως δὲ Ἀγριππίνου ἐγίνετο, ἔτι ἐὶν ἡλικίᾳ ἀγαθὸς δὲ ἦν,
ἔτι δὲ ἐν νεότητι τοῦ ἔχει, quod de Marco Antonio Imp. Dioni-
scribere libuit. Vita continens erat, natura benignus, reli-
gione pius, præterea mitis & mansuetus, & in summa
grauitate comis & perhumanus. Quotidie magnum
tempus priuatis & secretis precibus exigebat: aliquot
horis sacrarum literarum & librorum Theologicorum
lectioni vel auscultationi vacabat: Cum superiori anno
Dresda essem, tomorum Lutheri lectionem paucorum
mensium auscultatione eum percurrisse ex amicorum re-
latu accepi. Si tempus & occasio ferret, cultu vita erat
lautissimus, & ad exquisitas epulas in honorem adue-
narum nihil defieri patiebatur: aliàs autem ita fruga-
liter & temperatè vivebat, ut eius diæta frugalitatis
exemplum facile omnibus esse potuerit.

Aula non luxu diffluens, non fastu inflata, non libidine profusa ac perdita, non strepitu, non canibus, non equis, non turbulento satellitio tumultuans sed frugalitate sobria, modestia temperans, auctoritate coercita: denique domus siue regia potius tota ita adornata erat, ut quamuis passim essent, quae vel oculos delectarent, vel admirationem etiam concitarent: ipse tamen sic impleret eam, sic ornaret, ut nihil ipso uno esset augustius.

Preposteros mores, peregrinos ritus, et vitae incompositae atque habitus indecentis contagia vehementer abominabatur. Cum nobiles aulici Cyclopica barbarie aliquando eos in vestitu ritus introducerent, qui sunt ab omni decoro plane alieni, caligas nimirum prolixitate diffluentes, et variè dissectas: manicas in sagena modum dependentes, pallia vix ad nates usque prominentia, pugiones et calcaria tanto pondere fabrefacta, ut sarcinae, non instrumenta videri possent: barbariem istam abominatus, cum severitate vix posset, ignominia prohibuit, et edicto sancivit, ut carnifices omnes eo habitu vestirentur, qui aulicis decorus videbatur: calcaria patibulo affigi, et ad numellas in foro appendi iussit, ut publica infamia notatum habitum à cultu privatorum decentiore seiungeret. Res praclare gestas non solum laudibus: sed muneribus etiam et beneficiis ornabat. Si quae singulari arte elaborata ipsi offerebantur opera, iis contemplandis mirificè delectabatur. Juri dicundo operam dabat, et querelis hominum

ipse etiam aures praebebat, quoties ita res postulabat. Ludis vacabat non nisi honestissimis. Aetate adhuc florida palaestra & equestribus ludis delectabatur, quò in genere adeò illum & arte & robore virium excelluisse accepimus, ut qui cum illo Martis aleam periclitari vellent, pauci essent, qui palmam eriperet, nemo inueniretur. Venatione, aucupio, piscatione, iaculatoria, quando otium erat, frequenter exercebatur. At hoc in illo mirabile & peculiare, quod vix unquam huiusmodi exercitiis indulgeret, aut ita animum à negotiis relaxaret, quin ad manum esset, qui cum tractaret, quod ad Remp. attineret: sic plerumq; in harum oblectationum usu versabatur, ut Reij: memoriam, imò curam etiam, non deponeret: Imò vix ullam voluptatem admittebat, quae non cum aliquo usu non animi modò demulcendi: sed corporis etiam atq; ingenij exercendi coniuncta esset: ut quibus ille voluptatibus fruitus est, multi magnis laboribus se defunctos esse iudicaturi fuissent, si eas sustinuissent. Discendi autem insatiabili propemodum, non cupiditate tantum laborabat, sed desiderio ardebat etiam. Nihil erat in ullo genere artis aut scientiae magnum & laudabile, ad cuius cognitionem pari et conatur & successu non contenderet. Aliquibus vereor, ut huius rei fidem sim facturus. Videbitur enim humani ingenij angustias excedere, quod dicturus sum. At ut est captus hominum

ia plerumq³ evenire cernimus, ut tantum quisq³ credat
de aliis, quantum se viribus & ingenio prestare posse con-
fidit. Quicquid verò communem usitata virtutis & in-
dustria modum superat, id nullo modo admittit. Sed gra-
tulator mihi de tanta rei quod dicturus sum, evidentia, ut
et testium copia abundet, & rerum ipsarum testimonio se
abundè comprobet. Earū rerum, quæ scitu homine dignæ
erant, nihil pene ignoravit omnium: & quod in primis
mirum est, & exemplo mihi carere videtur, variam istā
cognitionem non adolescens in otio: sed matura iam æ-
tate inter tot tantaq³ amplissima gubernationis negotia
sibi comparavit.

De sacris, nolo hic rursus commemorationem institu-
ere. Iuris studium atq³ in eo Institutiones potissimum, cla-
riss. & consultissimo viro D. D. Paulo Vogelio interpre-
te, iam natu grandis exercuit. Medicinam verò sic exco-
luit, ut herbarum plerarumq³ nomina, virtutes, usus, plu-
rimarum medicationum modus & compositio, radicum,
aquarum, fructuum, etiam exoticorum, gemmarū, me-
tallorum vis & natura adeò accurate illi perspecta esset,
ut medicorum etiam solertissimorum ingenia interdum
fatigare posset: Pharmacis autem ex medicorum præ-
scripto vix ullis uteretur, nisi quorum naturas & com-
positiones prius ipse consideratas examinasset. Quam
scientiam, Chirurgia non cognitione tantum, sed &
exercitio practico auxit atq³ illustravit, constructo, ut

nostis, in hunc usum regis plane sumptibus Nosodochio, proxime ad arcem sito, in quod ex diversis locis ad se varia infectos lue, atque omnis generis morbis afflictos aduehi curabat: ad quos ille quotidie ex arce comneando, medicam operam faciebat, aliis consilio per ministrorum officia, a'ius manu etiam adhibita sanitatem restituens. In quo mirifico studio id plane summum ac diuinum fuit, quod & decumbentes precum atque pietatis exercitio, sic instituit, & conualescentes agenda pœnitentiæ incultationibus sic dimisit, ut multis corpore non magis quam animo laborantibus, huius maiorem quam illius salutem contulerit. Cato senex Græcas literas discens, admirationis materiã, Romanis præbuit. Augustus non ciuis, sed Princeps constante iam ætate Latinas addidicit, magno quidem ea in re & sumptu & studio: sed laudabili etiam progressu facto, nimirum ut non tantum quauis de re latino sermone colloquentes faciliè intelligeret: sed & quæ vellet, partim loqui, partim scribere etiam satis congruè posset.

In Mechanicarum artium & plurimarum & difficilimarum cognitione, acri & indefesso studio, tantum elaborauit, & perfecit, ut non solum pleraque ipse exacte intelligeret & summos etiam artifices exercere posset: sed ipse etiam multa in illis emendaret, non pauca etiam inueniret noua, quæ artes illas maiorem in modum illustraret. Quid in re metallica cōsecutus sit, cum stupore forsitan posteritas, si quæ futura est, admirabitur. Dicam summatim, nihil rerum omnium

ignorare voluit, quæ studio humano dignæ erant. Ut autem ingenio fuit acerrimo planè, & perspicacissimo, & studio, in rebus, ad quas animum adiungebat, indefesso: quocunq; eum aut animi aut ingenii impetus tulit: id naturæ bonitate, & assiduitate laborum facillimè consecutus est.

Quæ omnia hæcenus à me commemorata quò maiora sunt, quò præstantiora, magisq; supra communem mundi sortem posita: eò tristius est, eò luctuosius atq; acerbius est, quod iam me vobis dicere, proh dolor, tempus monet & necessitas. Mortuus est: heu miseriam nostram: mortuus est, inquam, Augustus: ò infandum dolorem: mortuus est, inquam denuò, Augustus Princeps & Elector noster, Augustus ille pacis publicæ assertor, vindex ille iustitiæ, Religionis protector ille, ille Ecclesiæ patronus, Scholarum ille Mæcenas, illud Imperij columnen, illud orbis & naturæ non ornamentum duntaxat, verum etiam miraculum: sed quod nos deploramus maximè, Pater ille patriæ maximus, optimus, fidelissimus.

9. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? & plorabo die & nocte acerbissimam luctus huius. Equidem dolore intercludor, publico partim, partim privato meo acerbissimo luctu impediior: ut quid dicam, quò me vertam, unde ordiar, ubi desinam, vehementer ambigam. Ex abundantia tamen cordis, os id loquitur,

quitur, quod ex psalte sancto habet, Anima mea turbata
est valde. At tu Domine usquequò? Nuper gravissi-
mum vulnus nobis est inflictum, pramatur, & uti tum
verebamur, nunc autem experimur, proh dolor, pramatu-
ro nimis, Hanna, Hanna illius sanctissima, matris ha-
rum regionum dulcissima, obitu.

Eo vulnere vix dum sanato, nondum omnes de dolui-
mus: en novum, & priori quidem longè atrocius, qua-
siq; lethale alterum nobis infligitur. At, inquam, tu Do-
mine usquequò? Siccine in luctu & squalore anni isti
nobis exigendi erunt? Quid? quod tempore planè alienis-
simo nos calamitatem istam patimur. Et iam iam plena
omnia sunt periculis: & licet ego malè ominari nolim, ea
imminent tempora, quæ gravissimas, utinam ne multis
exitiosas mutationes haud dubiè allatura sunt. Vicina
regna iam diu atroci bello flagrant. Qui adhuc in pace
sunt, arma vigilantes dormientes somniant, bella cre-
pant, cades spirant, sanguinem sitiunt, & nobis præcipuè
exitium minantur. Multi ex sanguinariis, hunc ipsum
Principis nostri obitum, pacis dissoluenda terminum, &
religionem nostram armis persequendi initium fore ia-
tare iam pridem non sunt veriti. Et iam annus ille octo-
gesimus octavus appropinquat: iam trigonus ille syde-
reus ingruit, quem sollicito studio observandum esse pridè
maiores nostri nos cohortati sunt. Deniq; ventorum in so-
litis

G

litis

litis tubinibus, aquarum inferetis inundationibus, nocturnis ignibus & fragoribus, terra motibus, pestis diuturnis contagiis, & multis aliis prodigiis & iudiciis, iram suam Deus nobis significavit, ut aut rerum omnium finis (quod quidē faxit omnipotens) aut gravis patrie nostra clades imminere videri debeat. Hic nos, non dicam primarium, omitto etiam dicere summum, sed quem unum, unicum, proh dolor, habuimus, Principem, cuius pietate, consilio, auctoritate, publica haec mala vel sanari omnino, vel mitigari certē poterant, alienissimo tempore amisimus. Ingruent pericula, motus bellici excitabuntur? Imperator Augustum requiret: Senatus Imperij Electorem nostrum desiderabit: Prementur civitates liberae, Principum atq; Episcoporum subditi vexabuntur? Augusti nomen inclamabitur: Turca in pomeria orbis Christiani grassabitur? Elector ille Saxo exoptabitur: dissidebunt inter se Principes ipsi? Augustus arbiter implorabitur. Videor iam mihi videre ante oculos, maestissimae viduae habitu pullato indutam, & squalore lacrymisq; passim sorditatā madentemq; communem omnium nostrum parentem Germaniam, & planctu lamentabili gemitu miserabili funus sui mariti prosequi: audire mihi videor Imperatoris gemitus, spectare lacrymas Principum, omnium ordinum luctum contueri. Et nos non tuam Auguste pater, Auguste Princeps opti-

me

me mortē defleremus? non has exequias planētū eiulatuq;
prosequeremur? non sanguine ipso, si fieri queat, hanc or-
bitatem nostram deploraremus? Absit, à nobis, absit
procul hac ferina immanitas, hic brutus stupor, hac plus-
quam Scythica barbaries. Proinde quin lugeatis, quin
ploretis, quin lamentamini, non prohibeo: imò ut hoc stu-
diosè faciatis, sedulo admoneo. Luxit Iosia obitum tota
Ierosolyma et Iudaea in primis Propheta Ieremias, scriptis,
ut nonnulli arbitrātur, ea de re Threnis suis: Hic nostrum
Iosiam nos amisimus. Phalaridis dominatu aut Neronis
Imperio dignus sit, qui ex hac morte Principis sui dolo-
rem non perceperit.

Ceterum illud interim vobis etiam ad animum reuo-
co, cum quicquid huius factum est, factū sit arbitrio divi-
nae voluntatis: ne querelis immodicis Deo obstrepatis, ne
nimio luctu fidē amittatis, aut ita contristemini sicut ca-
teri, qui spem non habent: Quin potius divini verbi pro-
missiones capeſſite, & quae summis etiam doloribus miti-
gationem afferre possunt, pias consolationes admittite.
Iam tempus est, dulcissimam Christi vocem animis no-
stris inculcemus, Ne time pusille grex: Nam plucuit
Deo nostro, nobis regnum dare. Iam tempus est, tuba in-
star in aures nostras insonet, dulcissimum Servatoris no-
stri Dominus, Confidite, ego vici mundum: Ecce, ego vobi-
scum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem
mundi.

Quod si parum est, ut verbis hisce vos consoletur, ecce
vina solatia in promptu sunt. Enimvero cum communi
decreto omnibus incumbat moriendi necessitas, & pau-
cis datum sit, Principibus maxime, et aetate sexagenaria
attingere: quid nisi indicium, imò pignus potius paterni
in Deo fauoris est, quod ad sexagesimum usque annum penè
integrum prorogata beatissimo Principi nostro vita, no-
bis ita paternè prouidit Deus, ut filium reliquerit, ad sum-
ma quauis & natum & educatum, vestigia Patris iam
ingressum, de quo non imaginatione conceptam, non opi-
nionem haustam, non presumptionem persuasam: sed rebus
ipsis excitatam, atque experientia confirmatam spem ha-
beremus, ut bonorum omnium atque Imperij: sic virtutum
etiam atque ingenij paterni plenam hereditatem ad
ipsum rediisse, quem iam inde à prima quasi pueritia non
dubis generosissima indolis argumentis ad fastigium he-
roicae sapientiae eximium, & illustrissimum decus virtu-
tum Principe dignarum, admirabili felicitate contem-
disse vidimus. Gaudeant sanè Pontificij & sectarij, no-
bis ereptum & sublatum esse Augustum. At iidem nos
eius loco Christianum habere non ignorent. Relicto
Alexandro, Philippus Macedonum Rex aequo animo
sese moriturum respondit. Augustum Christiano post se
relicto, dubium non est aequissimo animo potuisse ex hac
vita discedere. Quo magis est conueniens, ut nos etiam
tanto

tanto pignore iam relicto, non quidem obliuiscamur eius
boni, quod amisimus (quod à pia mente absit quàm lon-
gissimè) sed aequiori tamen animo feramus, quod mutari
non potest: Et ita nobis Deum iratum esse propter deli-
cta statuamus, ut ex concessio bonitatis suæ pignore am-
plissimo, acta seria pœnitentia, de misericordia eius, Et
constanti patrociniò, in spem indubitatam veniamus,
qua luctum hunc presentem, ut par est, piè moderemur.
Equidem ut fatear, quod res est, si piissimum illud Et su-
orum subditorum amantissimum, ac vere paternum pe-
ctus Augusti, Principis nostri beatissimi, animo meo con-
templer: videor mihi ex ipso feretro nobis eum placidif-
simè colloquentem audire, Et hac mansueto ore verba pro-
ferentem auribus quodammodò percipere: Agite subditi
mei charissimi, Et vos omnes, qui regionem hanc incolit-
is, bono animo estote, animos vestros ex luctu nimio ad
moderationem iam componite: quod luxistis grauiter:
agnosco Et gratum habeo hoc officium vestrum: Iam
verò modum mœrori statuite. Nam quod me attinet, ex
lachrymarum valle, ad cœlestem patriam, ex militante
Ecclesia ad triumphantem, ex VII viratu Imperiali Et
ducatu Saxonico, ad synedrium Sanctiss. Trinitatis, ad
regnum sempiternum sum translatus. Iam Christianum
habetis filium meum, me ipso magistro à teneris ad opti-
ma quæuis institutum, ad quem diuino beneplacito tota

Et Imperij Et ingenij mei deuolata est hereditas: huius salutem pijs precibus Deo commendate Et ut à vobis mortuus postulem, quod precepi viuus huic Principi vestro, turbulentissimo Europa statu, seculo exulceratissimo, temporis difficilimis Imperij mei vices subeunti, promptis animis morem gerite nec committite, ut quem ex meo matrisq; obitu dolorem duplum brevi tempore accepit acerbissimum, vestra inobedientia sibi exasperari sentiat. Sic manibus meis gratissima ratione parentabitur, sic utilissimam meorum beneficiorum memoriam conseruabitur. Sic morte mea nihil danum acceperitis: sic tuti ab exitio, sic in hoc mundo felices, sic tandem etiã unã mecum æternum salui esse poteritis.

Qua pijsissima Augusti quasi posthuma oratione, quia non habeo ego, quod porrò in medium afferam utilis, tibi maximo Pater humili mente suppliciamus, te optime Christe ardentibus votis inuocamus, tibi æterne Spiritus S. deuotas preces faciamus, ut tua omnipotentis virtute eam in nobis ratã esse iubeas, Et ut simus, quales debemus, tu cœlesti operatione clementer efficias:

Cui sit laus, gloria, maiestas Et benedi-

ctio Et nunc, Et in sempiterna
secula. Amen.


No 2943 OM

nc

X2205959







Oratio Funebris
OK. XXIV, 17.

V_c
2943

DE
A V G V S T O

PACIFICO, IVSTO, RELI-
GIOSE, FELICE, BENEFICO, SAXONVM
Duce Illustrissimo, Rom. Imperij VII. viro &
Archimarschallo, Marchione Misniae, Landtgrauio
Turingiae, Burggrauio Magdeburgense &c. tristis-
simo Germaniae fato 11. Februar, 86.

Dresdae defuncto,

Habita in templo arcis.

IN MOESTISSIMA PAREN-
TATIONE, QVAM IN SVMMO LVCTV
Academia Vitebergensis Patri Patria fe-
cerat 27. Feb. 1586.

à

GEORGIO MYLIO AVGVSTANO,
D. P. & Academiae Cancellario.

V I T E B E R G A E

Excusa typis heredum Johannis Cratonis.

Anno M. D. LXXXVI.

ii.